

XXXIV M. A. SABELLICI

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus:

(a) *Lib. XI.*

Ubi notat Servius: Sabellicus: Sabinus. Hos populos dixerunt Sabellos idem Virgilius Georgicorum libro II. Horatius Satyra II. Lucanus libro II. Ea vero de causa scriptori nostro placuisse Sabellum nomen adoptare, testatur ipmet epistola (a) quam ad Domitium Palladium Soranum conscripsit, discipulum suum, & poetam latinum non inelegantem. Non Aristippus venio, sed homo A SABINIS ORIUNDUS. Quare Cynthius Cenetenensis, Petrus Benedictus, Venetus, & Joannes Petrus Valerianus, pro Sabellico Sabellum eum vocant quibusdam in carminibus, quae in ejus laudem fecerunt, & inter illius opera leguntur. Sabellum quoque illum vocat Nicolaus Canussius libro de quo infra mentionem facturi sumus. Ipse vero dici noluit sabinus, eo quod nomen illud vulgarius videretur, & ab aliis usurpatum; nec Sabellus, veritus διωρυγίας; est enim gentilicium nomen romanae familiae, ejus tempore perinde ac nostro nobilissimae; nec denique Aequus, quia videbatur invenustius; quae vitia in Sabellicum nomen non caderent.

Et quoniam de novorum nominum ascendorum consuetudine est sermo, non erit ab re monere, tum cum nostra haec loca Sabellicus adiit, dedisse operam, ut hic etiam inter literatos, quibus vel discipulis vel amicis usus est, consuetudinem eamdem induceret; cuius rei aliquot afferam exempla, sumpta omnia ex locis Venetae Reipublicae subjectis. Nardinus Maniacensis nuncupavit se Nardinum Celinensem, eo quod Celina, cuius Plinius meminit, illa in regione sita sit. Joannes Baptista & Bartholomeus Caeloti, a Brugnara, quod castellum in Foro-julio est, sub ditione Comitum Purliliarum, Uranios se, derivato a Graecis nomine, vocarunt; Uranius enim graece, fere idem sonat, ac Caelotus italicice. Cynthius Cenetenensis dici voluit Cynthius Acedinus, quia censebat, Acedum, cuius meminuit Ptolemaeus, esse id oppidum, quod latinis Ceneta vel Cenita erat, ut ut aliis placeat, Ptolemai Acedum esse id, quod in agro Tarvisino vulgo Asulum dicunt. Lodoricus a Ponte, Bellunensis, latere maluit sub nomine Pontici Virunii; namque ipse, & Joannes Petrus Valerianus, item Bellunensis, falso credidere, antiquorum Virunum nihil esse aliud quam Bellunum; cum tamen Virunum situm esset in Noricis mediterraneis, ultra Carnicas Alpes, ad fluvium Dravum. Augustus Utinensis appellavit se Hunniensem, quoniam & ipse, & vitae ipsius auctor, quae Odis ejus latinis (b) praemissa est, sicuti etiam Sabellicus & Ponticus antedictus in praefatione ad beati Odorici librum, arbitrati sunt, Utinum ab Attila Hunnorum rege conditum esse, ac propterea Hunnum esse dicendum. Quae latinis nominata est Vicetia, Joannes Stephanus Aemilianus, cum falso crederet a Cimbris conditam, Cimbriam illam nominavit, seque non Vicetinum sed Cimbriacum; rejectoque priori nomine Joannis Stephani, Quinti praenomen accepit. Palladius Niger, Patavinus, audire latine voluit Palladius Fuscus. Nec Venetorum exempla desunt. Insignis Nicolaus Thomeus scribebat se Leonicum Thomeum. Quam celebre sit Baptiste Egnatii nomen, nemo nescit: at pauci norunt, gentilicium ei nomen fuisse Joannem-Baptistam a Cipellis. In Dominico Mario Nigro, illustri Geographo, agnoscendus est Dominicus-Maria Niger. Erunt & alia plura ejus generis exempla: verum in rem nostram jam dicta suffecerint.

(b) *Venet.*
ap. *Ant.*
Moret.
1529. in 4.

Sed